Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Super Genesim ad litteram - Cod. Aug. perg. 59

Augustinus, Aurelius

[Reichenau ?], 1425

Sentencia beati Augustini episcopi ex libro retractionum

urn:nbn:de:bsz:31-93276

Visual Library

Sententia beati Augustini episcopi ex libro retractationum.

Per idem tempus de Genesi libros duodecim scripsi ab exordio donec de paradyso dimissus est adam et flammea rumphea posita est custodire viam ligni vite. Cum autem ad hunc usque undecim libri peracti essent duodecimum addidi in quo diligentius de paradyso disputatum est. Titulus horum librorum inscribitur de Genesi ad litteram id est non secundum allegoricas significationes sed secundum rerum gestarum proprietatem. In quo opere plura quesita quam inventa sunt. Et eorum que inventa sunt pauciora firmata. cetera vero ita posita velud adhuc requirenda sint. Hos sane libros posterius cepi sed prius terminavi quam de trinitate. Ideo eos nunc ordine quo cepi recolui. In quinto libro et ubicumque in eis libris posui de semine cui repromissum est quod dispositum sit per angelos in manu mediatoris. non sic habet apostolus sicut veriores codices post inspexi maxime grecos. De lege enim dictum est quod multi codices latini habent per interpretationis errorem. In sexto libro quod dixi adam ad ymaginem dei secundum quam factus est perdidisse peccato. non sic accipiendum est tanquam in eo nulla remanserit. sed quod tam deformis ut reformatione opus haberet. In duodecimo de inferis magis michi videor docere debuisse quod sub terris sint quam rationem reddere cur sub terris esse credantur sive dicantur quasi non ita sit. Hoc opus sic incipit. Omnis divina scriptura bipertita est.

Aurelii Augustini egregii doctoris super Genesim ad litteram Liber primus incipit

Omnis divina scriptura bipertita est secundum id quod dominus significavit dicens. Scribam eruditum in regno celi simile esse patrifamilias proferenti de thesauro suo nova et vetera. que duo etiam testamenta dicuntur. In libris autem omnibus sanctis intueri oportet que ibi eterna intimentur. que facta narrentur. que futura prenuncientur. que agenda precipiantur vel moneantur.

In narratione ergo rerum factarum queritur utrum omnia secundum figuratum tantummodo intellectum accipiantur. an etiam secundum fidem rerum gestarum asserenda et defendenda sint. Nam non esse accipienda figuraliter nullus christianus dicere audebit attendens apostolum dicentem. Et erunt duo in carne una magnum sacramentum commendatum in christo et in ecclesia.

Si ergo utroque modo illa scriptura scrutanda est. quemadmodum quod dictum est preter allegoricam significationem. In principio fecit deus celum et terram. utrum in principio temporis an quia primo omnium facta sunt an in principio quod est verbum dei unigenitus filius. et quomodo possit ostendi deum sine ulla sui commutatione operari mutabilia et temporalia. et quid significetur nomine celi et terre. utrum spiritualis corporalisque creatura celi et terre vocabulum acceperit. an tantummodo corporalis. ut hoc in libro de spirituali tacuisse intelligatur atque ita dixisse. Celum et terram et omnem creaturam corpoream superiorem et interiorem atque inferiorem significare voluit. an utriusque informis materia dicta est celum et terra spiritualis videlicet vitam sicuti esse potest in se. non conversa ad creatorem. Tali enim conversione formatur atque perficitur. Si autem non convertitur informis est. Corporalis autem si possit intelligi per privationem omnis corporee qualitatis que apparet in materia formata. cum iam sunt species corporum sive visu sive aliquo quolibet sensu corporis perceptibiles. an celum intelligendum est creatura spiritualis ab exordio quo facta est perfecta illa et beata semper. terram vero corporalis materies adhuc imperfecta. quia terra inquit erat invisibilis et incomposita. et tenebre erant super abyssum. quibus verbis videtur informitatem significare substantie corporalis. an utriusque informitas hic etiam posterioribus verbis significatur. corporalis quidem in eo quod dictum est. terra autem erat invisibilis et incomposita. spiritualis autem in eo quod dictum est tenebre erant super abyssum ut translato verbo tenebrosam abyssum intelligamus naturam vite spiritualis informem. nisi convertatur ad creatorem. quo solo modo formari potest ut sit abyssus et illuminari ut non sit tenebrosa. et quomodo dictum est tenebre erant super abyssum an quia non erat lux que si esset utique superesset et tanquam superfunderetur. quod fit in creatura spirituali cum convertitur ad incommutabile atque incorporabile lumen quod deus est.

Et quomodo dixit deus. Fiat lux utrum temporaliter an in verbi eternitate. et si temporaliter utique